



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. De diuisione differentiæ in communem, propria[m], &
proptiissima[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

albedo respectu hominis, homo enim albus differt à se ipso & ab aliis hominibus non albis per albedinem, & propterea albedo dicitur differentia ipsius.

Differentia propria est accidens inseparabile, quo res differt ab alia re, ut nigredo respectu corui, est enim naturaliter inseparabilis ab ipso, & per illam differt à cygno. *Differentia propriissima* est quæ facit rem essentialiter differentem, quæque cum genere constituit speciem, ut rationalitas respectu hominis: illa enim cum animalitate constituit speciem humanam, quæ species per rationalitatem differt essentialiter à bruto; & huiusmodi duplex est; *infima*, quæ scilicet constituit speciem infimam, seu speciem prædicabilem; & *subalterna*, quæ constituit speciem subalternam. Vtraque autem differentia propriissima, ut habet constituere speciem, ita habet diuidere genus.

Dicit porro Porphyrius, quod differentia communis & propria faciunt res alias, non vero alias; differentia vero propriissima faciunt res alias: unde non est verum quod partes albus sit alius à parte nigro ratione albedinis aut nigredinis, sed quod sit alter; verum autem est dicere, quod homo sit alius à bruto; & ratio huius potest esse, quod idem subiectum, v. g. idem homo posset habere diuersas differentias communes, nunc scilicet albedinem, & nunc nigredinem; sed idem homo non potest esse alius à se, licet possit esse alter à se, seu alterius alio modo quam fuit ante. Similiter idem homo potest non habere differentiam propriam, v. g. cicatricem, & postea eam habere, & tamen non propterea fieret alius à se, licet fieret alter seu alteratus alio modo quàm fuit ante.

Præterea, quia differentia propriissima, de qua principaliter agit, eo quod illa sola est tertium prædicabile de multis, potest capi primo intentionaliter, & secundò intentionaliter, assignat duas definitiones eius, quarum prima conuenit differentia primo intentionaliter sumptæ, scilicet, *quod sit illud, quod constituit speciem, & contrahit genus*; secunda vero conuenit differentia secundò intentionaliter acceptæ, scilicet, *quod sit illud, quod est prædicabile de pluribus specie differentibus in quale quid.*

QVÆSTIO I.

De diuisione differentia in communem, propriam, & propriissimam.

Non capimus in hac disputatione differentiam pro relatione, à qua formaliter dicitur quid differre ab alio; sed pro fundamento istius relationis, hoc est pro entitate illa, ad quam sequitur huiusmodi relatio.

CONCLUSIO I.

1. *Illam diuisionem esse bonam & adequatam.* Est communis: & probatur, quia illa diuisio est bona, in qua membra diuidentia nec excedunt diuisum, nec è contra diuisum excedit membra diuidentia: sed talis est hæc, quia membra diuidentia continentur sub diuiso, & propterea non excedunt ipsum, & diuisum non continet aliud nisi illa, & quæ ad ipsa reducuntur, & consequenter non excedit illa. Quod autem diuisum non contineat aliud sub se, quam hæc membra diuidentia, probatur, quia nulla res potest ab alia differre, nisi mediante aliqua re separabili, vel mediante aliqua re inseparabili: si mediante re separabili, tum ipsius differentia erit communis: si mediante re inseparabili, tum vel mediante aliqua re, quæ est de ipsius essentia, & sic eius differentia erit propriissima, vel mediante aliqua re, quæ non est de eius essentia, & sic eius differentia erit propria: ergo non potest dari aliqua differentia alicuius ab alio, quæ non sit vel communis, vel propria, vel propriissima.

Alio modo potest idem probari, quia quæcunque forma aut formalitas facit rem aliquam differre ab alia re, vel est forma essentialis rei differentis, sicut rationalitas est respectu hominis, vel non essentialis illi rei, sicut nec rationalitas, nec albedo est essentialis homini: si primum dicatur, tum erit differentia propriissima: si dicatur secundum, vel illa forma erit separabilis ab illa re, cuius dicitur differentia, & sic erit differentia communis; vel non erit separabilis, & sic erit differentia propria.

3. *Obiicit primo:* Differentia individualis est differentia, & tamen non continetur sub aliquo ex illis membris: ergo diuisum excedit illa membra diuidentia.

Respondeo primo: diuidi hic differentiam ut sic, communem omnibus differentiis, quæ non sunt individuales: unde concessio antecedenti, nego consequentiam.

Respondeo secundo: differentiam individualement, si comparatur ad speciem, esse differentiam propriam respectu eius, quia non est intrinseca ipsi, si verò comparatur ad indiuiduum, esse differentiam propriissimam, quia licet non sit essentialis ipsi, quatenus essentialiter capitur pro prædicato intrinseco non individuali, est tamen essentialis, quatenus essentialiter capitur pro re primo constitutiuam intrinsece.

4. *Obiicit secundo:* Propria passio est differentia, facit enim differre unum ab alio; & tamen non comprehenditur sub vno ex his membris.

Respondeo negando minorem, est enim differentia propria.

Dices: Porphyrius ait differentiam propriam suscipere magis, & minus, sed proprie passioni hoc non competit magis quàm differentia essentiali ad quam sequitur.

Respondeo Porphyrium non velle quod id competat omnibus differentiis propriis, sed tantum aliquibus.

Dices secundo: Porphyrius inter differentias propriissimas enumerat capacitatem disciplinæ: sed capacitas disciplinæ est proprietas: ergo proprietas potius erit differentia propriissima, quam propria.

Respondeo distinguendo maiorem: capacitatem fundamentalem disciplinæ, concedo; formalem nego. Et similiter distinguo minorem: capacitas formalis, concedo; fundamentalis, nego minorem & consequentiam.

5. *Obiicit tertio:* potest res esse sine differentia propria, verbi gratia sine cicatrice, aut ex cecitate, antequam scilicet habeat illam, quæ tamen ponuntur à Porphyrio, tamen exempla differentia propria: sed nequit esse sine proprietate, ergo proprietas non est differentia propria.

Quod si dicas non posse esse absque cicatrice, aut cecitate semel contracta. *Contra:* quia licet non possit naturaliter, poterit tamen supernaturaliter, sed supernaturaliter nequit esse absque proprietate, maxime in sententia Scoti, qui identificat proprietatem subiecto, ergo adhuc proprietas non habet rationem differentia propria.

Respondeo negando consequentiam, quia licet possit esse sine aliqua differentia propria siue naturaliter, siue supernaturaliter, non tamen sine omni: nam differentia propria potest diuidi in eam, quæ nequit etiam supernaturaliter separari, qualis est proprietas, & in eam quæ potest aliqua ratione separari, & hæc quæ potest aliquo modo separari, potest diuidi in eam, quæ potest naturaliter separari, id est, sine qua potest esse subiectum aliquando, ut est cicatrix: & eam, siue qua nequit unquam esse subiectum naturaliter, ut albedo respectu cygni, calor respectu ignis, nigredo respectu corui.

6. *Obiicit quarto:* animal est differentia hominis à lapide, sed non est differentia propria, nec communis, quandoquidem sit quid intrinsecum & essentialiter homini, nec est differentia propriissima, quandoquidem non prædicatur in quale, sed in quid: ergo datur aliqua differentia, quæ neque sit communis, aut propria, aut propriissima, & consequenter diuisio prædicta non est adæquata, cum non comprehendat omnes differentias.

Respondeo negando maiorem, quia differentia proprie loquendo debet esse aliquid prædicabile in quale, unde cum animal non prædicatur in quale, sed in quid, propterea non est differentia proprie loquendo, & ut accipitur differentia hic diuisa.

Obiicit quinto: anima rationalis est differentia hominis à bruto; sed tamen non est propria, nec communis, quia est pars essentialis hominis, nec est differentia propriissima, quia non prædicatur in quale quid, nec contrahit genus, aut constituit formaliter speciem: ergo prædicta diuisio non continet omnes differentias & consequenter non est adæquata.

Respondeo distinguendo maiorem: est differentia physica ipsius,

Duplex descriptio differentia propriissima.

Diuisio differentia est bona.

ipſius, concedo; metaphyſica; nego maiorem, & ad minorem dico quod ſit differentia propriiſſima phyſica ipſius, & quod prædiceret in concreto de homine; bene enim poteſt dici quod homo ſit animatus, & quod etiam conſtituat ſpeciem, ac contrahat genus radicaliter, ſaltem partialiter.

CONCLUSIO II.

Diuiſio illa
cit analogi
in analogata.

7. *Predicta diuiſio eſt analogi in analogata.* Hæc eſt communis cum *Doctore quaſt. 23. Vniuerſi* ac ſuis. *Probatum*: quia non eſt diuiſio vniuoci in vniuocata, & præterea membra diuidentia habent aliquam proportionem inter ſe: ſed omnis diuiſio, qua diuiditur aliquid in membra habentia proportionem inter ſe, ſi non ſit diuiſio vniuoci in vniuocata, erit diuiſio analogi in analogata ſecundum omnes: ergo illa diuiſio eſt analogi in analogata. Probatum maior quoad primam partem, in qua ſola eſt difficultas, quia vt ſit diuiſio vniuoci in vniuocata, debet dari aliquis conceptus determinatus abſtractus à mēbris diuidentibus qui eſſet cōmunis illis ſecundū eandē rationem: ſed hoc eſt falſum: ergo nō eſt diuiſio vniuoci in vniuocata. Probatum vltima minor, quia omnes differentie non poſſunt conuenire in vno conceptu cōmuni determinato, quia neque omnes differentie propriiſſimæ ſic conueniunt inter ſe, quandoquidem ſunt primò diuerſæ: ergo multo minus conueniunt cū aliis differentiis in conceptu aliquo cōmuni.

Confirmatur, quia non poteſt assignari quis ſit ille conceptus vnus obiectiuus, in quo conuenirent: ergo non eſt dicendum, quod conueniant in aliquo tali. Probatum, quia non eſt cōceptus entis, quia in eo nulla differunt: nec conceptus ſubſtantie, vt ſic, quandoquidem aliqua differentie non ſunt ſubſtantie, aut ſubſtantiales: nec accidentis vt ſic, quandoquidem aliqua ſunt differentie, quæ non ſunt accidentia nec accidentales: ſed nullus conceptus vnus determinatus dari poteſt, qui non ſit ens, vel ſubſtantia, vel accidentis, aut ſubſtantiale, vel accidentale: ergo non poteſt assignari aliquis conceptus differentie, qui ſit vnus, ac determinatus, ac communis omnibus differentiis.

Confirmatur ſecundò, quia omnis formalitas poſitiua debet habere aliquod munus aliud, quam facere diſſerre, ſicut albedo, quæ eſt differentia particularis, habet aliud munus quam facere diſſerre ſuum ſubiectum ab alio ſubiecto: ſed non poteſt assignari aliquod munus illius differentie vnus determinata vt ſic, quæ eſſet communis vniuocè omnibus differentiis: ergo non datur talis conceptus.

8. *Obiicies*: omnes differentie conueniunt in hoc, quod faciant diſſerre, & poteſt aliquis habere conceptum de aliqua forma, quod faciat diſſerre, & eſſe certus de hoc, & hoc non obſtante dubitare an faciat diſſerre per modum differentie propriæ, communis, aut propriiſſimæ: ergo conueniunt vniuocè in conceptu facientis diſſerre vt ſic.

Reſpondeo, ſicut reſponſum eſt ſupra, cum quaereretur vtrum daretur conceptus indiuidui vt ſic, cōmunis omnibus indiuiduis, & ſicut reſponderetur inferius, quando ſimile argumentum proponetur contra doctrinam noſtram de differentiis vltimis. Reſpondeo inquam diſtinguendo antecedens: conueniunt in conceptu aliquo determinato abſtracto & præſcendente, nego: alio modo, concedo antecedens & nego conſequentiam, loquendo de conceptu vniuoco abſtracto & præciſo ab inferioribus, de quo conceptu ſit mentio in cōcluſione.

Aduertendum autem hic quod loquamur de differentiis hiſ, primò intentionaliter acceptis, & ſecundū quacumque formalitates competentes ipſis ante operationem intellectus. Quod ſi loquamur de ipſis ſecundò intentionaliter, prout ſubſunt relationibus aliquibus rationis aduenientibus ipſis per operationem intellectus, poteſt dici de ipſis quod conueniant vniuocè, ſicut idē diximus de naturis omnibus vniuerſalibus & indiuiduis, prout ſubſunt ſimilibus relationibus, quia à relationibus rationis fundatis in differentiis omnibus æque poteſt abſtrahi ratio aliqua cōmunis differentie ſecundò

intentionaliter acceptæ, ac à relationibus naturarum genericarum ac indiuiduorum, vt eſt euidens.

9. *Quæſan* prædicta diuiſio ſit in membra realiter diſtincta, an vero formaliter. *Reſpondeo* eſſe ſine dubio in membra ad minus formaliter diſtincta, quia conceptus differentie communis, propriæ, & propriiſſimæ ſunt conceptus ſatis diuerſi inter ſe.

An diuiſio
differentie
vt ſic ſit
in membra
realiter
diſtincta.

Reſpondeo ſecundò eſſe etiam in membra realiter diſtincta, quantum ad hoc quod dentur differentie communes, propriæ, & propriiſſimæ, quæ inter ſe realiter diſtinguntur: nam rationalitas, quæ eſt differentia propriiſſima hominis, diſtinguitur realiter ab albedine, quæ eſt differentia communis, & cicatrice quæ eſt differentia propria eius.

Reſpondeo terciò, non eſſe in membra realiter diſtincta, quali quælibet differentia ex membris differentibus debeat à cæteris realiter diſtingui: nam riſibilitas, quæ eſt differentia propria hominis, non diſtinguitur realiter à rationalitate, quæ eſt differentia propriiſſima eius, præſertim in noſtra ſcotiſtarum ſententia. Nec etiam debent membra diuidentia eſſe ita realiter diſtincta, quin vna, & eadem forma in ſpecie poſſet habere rationem differentie vnus ex illis tribus reſpectu vnus ſubiecti, & alterius differentie reſpectu alterius ſubiecti; nam albedo, quæ eſt differentia communis hominis, eſt differentia propria cygni. Vnde melius eſt dicere, quod membra diuidentia differentia, vt ſic, abſtrahunt ab identitate & diſtinctione reali.

QVÆSTIO II.

Quid ſit differentia propriiſſima primò intentionaliter accepta.

10. *Indagabimus* iam particularius naturā differentie propriiſſimæ, quæ ſola eſt illa, quæ eſt terciū prædicabile, quæque ſicut & cætera vniuerſalia, poteſt cōſiderari & primò intentionaliter & ſecundò intentionaliter. Eius autē dedit *Porphirius* quinque deſcriptiones. Prima eſt: *quod differentia eſt id quod ſpecies excedit genus.* Secunda: *differentia eſt, quæ ſuapte natura ea, quæ ſub genere ſunt ſeparat.* Tertia: *differentia eſt id, quo ſingula differunt.* Quarta: *differentia eſt, quæ non ſolum ſeparat ea, quæ ſub eodem genere collocantur, ſed ad ſubſtantiam rationemque conſert.* Pars eius eſt, cuius differentia dicitur. Quinta denique: *differentia eſt, quæ de pluribus differentiis ſpecte in quale quid prædicatur.* Ex hiſ deſinitionibus ſeu deſcriptionibus vltima conuenit differentie ſecundò intentionaliter acceptæ, quatenus ſcilicet eſt prædicabile per intellectum, & de ea agemus quaſtione vltima. Reliquæ conueniunt ipſi primò intentionaliter acceptæ, & de iſis hic agendum eſt.

Quinque
deſcrip-
tiones
differentie
propriiſſi-
mæ.

CONCLUSIO I.

11. *Qualibet ex prædictis quatuor deſinitionibus ſeu deſcriptionibus eſt bona.* Hæc debet eſſe communis, & probatur, quia per quamlibet ex illis declaratur natura iſtius formalitatis, quæ eſt differentia propriiſſima, vt diſtinguitur à cæteris formalitatibus, quæ non ſunt tales: ergo quælibet eſt bona. Probatum minor diſcurrendo per ſingulas: & quantum ad primam certum eſt quod nulla ſit formalitas, qua ſpecies excedit genus, ſeu quam ſpecies dicit per ſe primò vltra genus, præter formalitatem differentie: Quantum ad ſecundam non minus certum eſt, quod nihil aliud per ſe primò ſeparat & diſtinguit ſpecies, quæ ſunt ſub genere immediate, præter differentias: ſicut nihil aliud formaliter diſtinguit hominem à bruto per ſe primò præter rationalitatem. Quantum ad terciā patet, ſingulas res, quæ ſunt differentes eſſentialiter diſſerre ſola differentia: & denique quantum ad quartā cōſtat illa ſola, quæ ſeparant aut diſtinguunt ſpecies, ſeu quibus ſpecies vnus generis diſtinguntur, & præterea ſunt de eſſentia ſpecierum, eſſe differentias propriiſſimas; vnde licet riſibilitas & hinnibilitas diſtinguant hominē ab equo, tamen non ſunt differentie propriiſſimæ quia non ſunt de eſſentia hominis & equi.

Quatuor
primæ ſunt
bonæ.

Dices contra primam, ſecundam, & terciā: riſibilitas eſt formalitas, qua ſpecies humana excedit genus, verbi gratia animal: homo enim vltra animalitatem includit

Conue-
niunt vni-
uocè ſe-
cundò in-
tentionali-
ter acce-
pta.